

UNUS È SOCIETATE INTERFICITUR; ALII CANADA
EJICIUNTUR.

PRIMO in conflictu Gilbertus Thetus, domesticæ rei adiutor è Societate, confossus lethali plaga, postridie religiosa morte occubuit. Ceteri Patres qui stabant in littore, in potestatem Argalli, prætoris Angli, venerunt. Ille, dum Gallicæ navis prædam & supellectilem recenset, subduxit clam è Sauffæii, navis Gallicæ gubernatoris, qui huic expeditioni præerat, scrinio regium diploma, cujus fide tota novæ coloniæ ratio nitebatur. Mox ipsum Sauffæium è littore subeuntem adortus, quærit ex eo quo jure, cujus auctoritate, novas tam prope Virginiam sedes moliantur. Laudavit Sauffæius regium diploma, quod se in capsis rite conscriptum habere dixit. Ad eas ubi ventum est, vidit integras, & obferatas, suisque omnia digesta locis agnovit, diploma nullum apparuit. Tum Argallus, vultu & voce ad severitatem compositis, fugitivos & prædones conclamat, ac necem commeruisse pronunciat, simulque navim suis diripiendam tradit. Illum interea Patres obsecrant ut victis benignè consulat, quibus objici nihil noxæ possit aliud, quàm quod in pacato solo fuerint nimium fecuri: auctoritatem Regis Galliæ non dubiam ac voluntatem testantur. Prætor probè sibi conscius vera narrari, comiter eos audivit, & omnibus potestatem